



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XVIII. Continuatur eadem materia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

etiam certò sciuntur nunquam fuisse confessa, sed nego talem obligationem, aut debitum confitendi tunc, quando peccata probabiliter iudicantur jam in aliqua confessione fuisse explicata; eò ipso enim jam præceptum confessionis definit obligare, & esse certum, quando de ejus obligatione in hac vel illa circumstantia prudenter & probabiliter dubitatur.

V. Cùm tam firmiter asseras non esse obligationem confitendi peccata improprie dubia, conabor tibi ostendere neque confitenda esse delicta proprie dubia.

S. Libenter audiam rationes in oppositum.

QUÆSTIO XVIII.

Continuatur eadem materia.

Vicar. **A**ttende! qui sola peccata proprie dubia confiteretur, nullum aliud peccatum certum adjiciendo, non posset à Sacerdote absolvi,

vi, cum absolutio requirat materiam certam, ex quo manifestè patet peccata propriè dubia non esse materiam necessariam, imò neque sufficientem confessionis, adeoq; non esse necessariò confitenda.

S. Rectè me responsurum existimo si dixerò etiam supra materiam duntaxat dubiam posse cadere absolutio- nem, conditionatam tamen, cum hac videlicèt conditione: *ego te absolvo à peccatis tuis, si ea verè commisisti*: quam- vis non ignorem Pœnitentes, quando confitentur peccata propriè dubia, te- neri simul addere aliquot certum sal- tèm veniale, aut mortale jam remis- sum, nè forma absolutionis expona- tur periculo nullitatis, & consequen- ter peccata propriè dubia non esse materiam sufficientem, si solitariè ex- plicentur nullo addito peccatò certo, bene tamen addito aliquo peccatò certo, etiam jam remisso.

U. Putasne peccata directè remissa es-
se

se materiam sufficientem novæ confessionis?

S. Hujusmodi sufficientiâ probat laudabilis consuetudo faciendi confessiones generales, in quibus repetuntur peccata jam antè ritè cōfessa, & remissa; & numquid *Ecclesi.* legitur: *s. de peccato propitiato noli esse sine metu?* quem metum minui per repetitam eorundem peccatorum confessionem, nemo negabit, prudenter ergo, & licitè repetuntur peccata semel confessa, & remissa.

V. Licitè, sed non fructuosè.

S. Quis dicet in confessione Sacramentali peccatorum jam priùs confessorum non conferri augmentum gratiæ? quis non affirmabit peccatum per contritionem deletum extra Sacramentum, si postea aperiatur in confessione, stare cum Sacramento & valido & fructuoso? judico ego, quòd sicut Pœnitens eadem peccata, de quibus semel contritus est, novæ contritioni
sub-

subjicit cum fructu, ita quoq; de ijsdem peccatis semel confessis licitam & fructuosam novam confessionem Sacramentalem faciat, siquidem Sacramentum confessionis in lege Evangelica succedit præcepto contritionis, quod fuit in lege veteri: adverte autem in hunc finem validitatis & fructus iteratam confessionem novo dolore informatam esse debere.

U. Quare?

S. Quia dum novum conficitur Sacramentum requiritur nova materia, saltem proxima à priori distincta, adeoq; nisi addatur novus dolor non esset materia sufficiens ad Sacramentum novum constituendum: præterquã quòd positio novi Sacramenti postulet renovatos actus Penitentis.

U. Nonè dolor inceptus in prima confessione possit continuari usq; ad secundam confessionem?

S. Illa continuatio æquivaleret novæ productioni doloris, adeoq; esset novus dolor æquivalenter.

U. Ut

U. Ut quid requiris novum dolorem cum possit sufficere voluntas suscipiendi Sacramentum ?

S. Non sufficere asserent sustinentes in accedente Tribunal Pœnitentiæ, etiam cum solis venialibus requiri attritionem : mihi autem videtur, quod voluntas illa cum negatione complacentiæ sit virtualiter novus dolor : & certè necesse est stare pro hoc titulo novo doloris, qui offert absolutioni, & novitatem materiæ proximæ, & ostendit in eandem offensam iteratam remissionem cadere posse, prout accidit etiam in humanis, quando accedunt novi tituli remissionis, quales in præfenti materia ponuntur per confessionem, ut iteratam, & prout novo dolore informatam.

U. Occasione hujus discursûs de confessione repetita, quæro : an repetens confessionem prius ritè factam, sicut tenetur novum apponere dolorem, ita quoque teneatur explicare quod illa

pecc

peccata sit jam priùs confessus.

S. Lego apud Suariũ, & alios Theologos non teneri, quorum ratio est: quia Pœnitens tenetur solùm ità explicare suum peccatum, sicut fuit ab ipso primâ vice commissum peccatũ autem prout fuit ab illo commissũ non habuit circumstantiã peccati jam confessi, & remissi, adeoq; dicunt non esse obligatũ hanc circumstantiam explicare, eò vel maximè, quia circumstantia peccati jam confessi & remissi, nec est mutans speciem, nec aggravans intrâ eandem speciem, sed potiùs minuens (salvâ tamen hac doctrinâ judico negari non posse, quin Pœnitens saltèm per accidens obligetur ad exprimendam hanc circumstantiam, si videlicet Confessarius ultrò interrogaret de hac circumstantia eo fine, ut meliùs exercere possit munus suum).

V. Videtur requiri necessariò ut non solùm Pœnitens, sed etiam Sacerdos Sacramentum ministrans habeat noti-

L ti-

titiam confessionis *ut iterata*, in finem imponēdi leviorē pœnitentiā pro peccatis jam in priori confessione punitis. S. Absq; dubio si Confessarius sciret peccata jam esse punita leviozem pro illis deberet imponere pœnitentiā, quòd autem Pœnitens tacendo graviozem accipiat, imputet sibi: non mihi persuadeo repetentem ad majorem sui confusionem peccata prius confessa & remissa cum reticentia hujus circumstantiæ levem expectare pœnitentiā: bene itaq; facit Confessarius conformem pro delictis injungendo pœnitentiā, & non malè agit Pœnitens non manifestando peccata jam fuisse remissa & punita, cum per hoc nullum præjudiciū faciat Sacramento, sed tantum sibi, & error in quem induceretur Minister Sacramenti esset præjudiciosus Reo confitenti, neque accideret aliqua deceptio nisi circa materiam ad Sacramentum imperinentem, siquidem circumstantia

con-

confessionis præteritæ non est materia
confessionis secundæ.

U. Audes dicere hanc circumstantiam
esse materiam ad Sacramentum imper-
tinentem? ausculta! Pœnitens tene-
tur explicare circumstantiam quæ fa-
cit, ut peccatum ex suo genere mor-
tale transeat in veniale, hinc qui ho-
minem occidit sinè plena advertentia
rationis, tenetur explicare defectum
plenæ advertentiæ, quia hæc circum-
stantia facit homicidium tantùm ve-
niale, igitur tenebitur etiam explica-
re illam circumstantiam, quæ facit, ut
peccatum, quod ante fuit materia ne-
cessaria, transeat in non necessariam
materiam confessionis, confessio au-
tem præterita est talis circumstantia,
ergo &c.

3. Tenetur utiq; exponere circumstan-
tiam facientem, ut peccatum ex suo
genere mortale, transeat in veniale,
quia talis circumstantia facit, ut actus
statim à principio non fuerit pecca-
tum

L 2

tum

tum mortale, prout apparet in casu de homicidio, est circumstantia confessionis præteritæ non facit, ut peccatum à principio non fuerit mortale, & necessaria confessionis materia, sed tantum facit, ut nunc non sit necessaria materia, adeoq; non tenetur Pœnitens (per se loquendo) ipsam confiteri, sed est illi liberum eam explicare, vel non explicare.

U. Si hanc circumstantiam non tenetur per se loquendo manifestare Pœnitens, quæro: an saltèm, dum vult confiteri generaliter, & admiscet confessioni generali aliqua mortalia de novo commissa, teneatur dicere, se illa nunquam aliàs confessum fuisse?

S. Ad hoc quæsitum respondeo cum distinctione: quando Pœnitens, antequam confiteretur, non præmisit, aut dixit se velle confiteri generaliter, sed simpliciter duntaxat confitetur, non tenetur explicare dictam circumstantiam, per hoc enim nullum præjudici-

um

um facit Sacramento, sed tantum sibi; quod si pronunciasset se facturum confessionem generalem, tenetur fecerere peccata nondum confessa à confessis, alioquin confessarius non posset debitum iudicium ferte de peccatis, nec auderet imponere commertitam pœnitentiam supponens jam omnia peccata confessa & punita fuisse, & consequenter reticentia hujus circumstantiæ vergeret in præjudicium Sacramenti.

U. Supponamus quòd dixerit se velle confiteri generaliter, tenetur nè omnia mortalia jam aliàs confessa confiteri?

S. Nequaquam: sicut enim tota confessio est libera & supererogatoria, ita liberum est Pœnitenti eam facere magis vel minus generalem, repetendo vel omnia, vel aliqua tantum peccata mortalia.

U. Pro complemento hujus Quæst. revertamur ad difficultatem de confiten-

L 3 dis

dis peccatis dubijs propriè talibus, pe-
to: an illa necessitas confitendi oria-
tur ex natura ipsius iudicij, & concep-
tu tribunalis?

S. Non, sed ex universali illo princi-
pio, *quòd nunquam liceat operari con-
tra conscientiam dubiam.*

V. Sed nemo in dubijs præsumitur de-
liquisse, igitur nec debet præsumi ob-
ligatus ad confessionem peccati dubij?

S. Fortè ità, si ex tali præsumptione se-
quatur damnum delinquētis, secùs ve-
rò si favor, modò, dum Pœnitens con-
fitetur peccata dubia, præsumptio pec-
cati cedit in favorem Pœnitentis, quia
liberatur à culpa & pœna, si quam for-
tè contraxit: quamvis Pœnitens non
teneatur confiteri peccata propriè du-
bia ideò, quòd præsumatur deliquisse,
sed prout paulò antè dixi ideò, quia
non potest operari contra conscientiam
dubiam.

V. Potest autem deponere dubiũ pro-
priè dictum?

S. Di-

S. Dico Pœnitentem non obligari ad confitendum peccata dubia, si desinant esse talia & cum hoc observo, quòd si dubium propriè dictum sit *positivum*, seu ortum ex æqualitate motivorum probabilium, & sufficientium pro formando judicio probabili, possit hujuscemodi dubium licité deponi, eligendo opinionem seu judicium probabile de carentia peccati, vel de confessione jam peracta: rursus si sit *dubium negativum imprudens* id est ortum ex defectu omnis motivi, vel ex motivo aliquo levissimo, tale dubium debet contemni, & deponi, cujusmodi dubijs vanis & imprudentibus (ut alibi expressi) penè usque ad amentiam exagitari solent scrupulosi, & idcirco debent per prudentem Confessarium arceri à confessione talium levissimorum dubiorum. At verò si dubium negativum sit prudens, id est ortum ex motivo, sufficienti quidem ad prudenter dubitandum, seu ad prudenter su-

L 4

spen-

spendendum assensum vel dissensum non tamen sufficienti ad prudenter iudicandum, seu pro formando iudicio tale dubium non potest deponi, cum desit motivum sufficiens ad prudentem assensum vel dissensum, adeoq; intellectus tali casu manet suspensus & propriè dubius, & per hanc responsionem meam datur intelligi, quòd dubium propriè dictum non semper deponi possit.

QUÆSTIO XIX.

An qua de Personis ad Confessionem Sacramentalem faciendam obligatis.

Vicar. **Q**uæ personæ obligantur ad faciendâ Confessionem Sacramentalem?

Sac. Illæ, quæ mortale aliquod peccatum post realem Baptismi susceptionem commiserunt, quòd manifestè constat tum ex cap. *omni utriusq; sexus*: in Concil. Lateran. tum ex eo, quòd *Sac. Conc. Trid., Sess. 14. c. 2.* dicat,
bap-